

SYNODUS EPISCOPORUM

---

XII COETUS GENERALIS ORDINARIUS

VERBUM DOMINI  
IN VITA ET MISSIONE ECCLESIAE

**R E L A T I O  
S E C R E T A R I I   G E N E R A L I S**

Exc.mi D.ni Nikola Eterović  
Archiepiscopi tit. Sisciensis

E CIVITATE VATICANA  
2008

© Copyright *Secretaria Generalis Synodi Episcoporum - Libreria Editrice Vaticana*

---

TYPIS VATICANIS

2008

Sancte Pater,  
Eminentissimi et Excellentissimi Patres synodales,  
Fratres Sororesque,

Divinae Providentiae gratias ego persolvo, quippe cui tantus contigerit honor, ut Secretarius ceu Generalis vos alloquerer in principio novi Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum celebrandi. Vobis omnibus salutem impertior eisdem usus verbis, quae fere 1950 ante annis Sanctus Paulus Apostolus- anno fere octavo et quinquagesimo – ad christifideles Urbis advertit: πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς Θεοῦ, κλητοῖς ἀγίοις, χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ [“omnibus, qui sunt Romae dilectis Dei, vocatis sanctis: gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo”] (Rm 1, 7). Quae salutatio haud mediocris significationis plena ab Apostolo Gentium data nostram quoque in rem multis de causis quadrare videtur.

Undique terrarum congregati, in urbem, Patres synodales, convenistis et in aspectabilem Catholicae Ecclesiae arcem atque sedem Romani Antistitis, qui sanctae Ecclesiae Dei praesidet in caritate.

Sanctum Patrem Benedictum h.n. XVI, qui Romanam cathedram Beati Petri apostolorum Principis 264 successor tenet, omnium nomine peculiari officio saluto grataque animi sensa aperio Illi, qui nos dignatus sit in urbem Suam nostramque convocare; nam catholici cuncti, immo christifideles omnes, Romae Sanctorum Petri Paulique Apostolorum memoriae custodi observantissimae necessitudine et vinculo unico adstringuntur atque singulari. Suo enim sanguine effuso Apostoli Evangelii nuntium consecraverunt Romam appellentem, Romanorum Imperii cardinem cor Catholicae Ecclesiae factum.

Operam Synodi praecipua ratione S. Paulus eiusque nuntius comitabitur cum eo ipso Anno illius memoriae impertito celebretur, quem Spiritu Sancto afflante Summus Pontifex Benedictus XVI hoc anno aperuit die 29 iunii, nataliciis Apostoli bismillesimis.

Apostoli praeterea Tarsensis verbo memoria renovatur dilectionis, qua omnes a Deo diligimur [ἀγαπητοί Θεοῦ], et vocationis in sanctitatem[κλητοί ἀγίοι], quam baptismo collato, accepimus. Hoc enim est fundamentum communis sacerdotii, cui ministeria et donationes, quae sunt in Ecclesia, adhaerent. In votis autem est, ut opera, quam proximis

navabimus hebdomadis, opitulante, Verbum Dei audientes, meditantes, celebrantes, manifestantes in sanctitate proficiamus, iter perficientes magnum illud quidem et severum, sed quod tamen laetificat animum et dilatat. Quod ut consequamur, committamus nos divinae Patris benevolentiae, Spiritus Sancti gratiae, quod donum Iesus Dominus resurgens non ad mensuram absque intermissione dat. (cfr. *Io* 3, 34).

Hac igitur voluntate motus, libenter *Patres Synodales* saluto, qui numero sunt 253, idemque huc undique terrarum adveniunt, scilicet 51 ex Africa, 62 ex America, 41 ex Asia, 90 ex Europa, 9 ex Oceania. Coetui vero Generali Ordinario Patres synodales vario titulo intersunt, nam 173 electi sunt suffragiis, 38 participes fiunt ex officio, 32 sunt a Sancto Patre nominati, 10 designati sunt suffragiis ab Unione Superiorum Generalium. In his adsunt 8 Patriarchae, Cardinales 52<sup>1</sup>, Archiepiscopi Maiores 2, Archiepiscopi 79 et Episcopi 130. Pro suo cuique verum munere commisso, 10 sunt Antistites Synodis Ecclesiarum Orientalium sui iuris praepositi, 30 praesident Episcoporum Conferentiis, 24 sunt denique Praefecti Romanae Curiae Dicasterii, 185 Ordinarii, 17 Auxiliares.

Praecipuo verum honestatis obsequio salutationis verba ad *Delegatos Fraternos* advero, qui huc advenerunt legationem gerentes pro 10 Ecclesiis atque communitatibus ecclesialibus, quae sacram Scripturam aequa atque catholici fideles et diligunt et venerantur. Sacra enim Pagina haud minus quam Baptismi sacramento inter se potissimum adstringuntur omnes, quicumque credunt in mysterium Unius Trinique Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ex imo autem corde bene advenisse iubeo quosdam homines *speciali titulo Invitatos*, qui Summi Pontificis Benedicti XVI rogatu advenientes Synodo libenti animo intererunt gerendae.

*Peritos* 41 *Audatoresque* 37, viros feminasque, salvere iubeo, qui de ingenti divini Verbi cultorum et studiosorum numero delecti sunt, ut opem Patribus Synodalibus ferentes, suis suarumque communitatuum experientiis ditent Patrum cogitata de vitali divini Sermonis praestantia, qui semper est vivus et efficax (cfr. *Hb* 4,12)

Toto demum pectore viris *Diariis Imprimendis Addictis, Adiutoribus*, sermonum *Interpretibus, Technicis* maximeque Secretariae Generalis Synodi Episcoporum *Officialibus et Coadiutoribus* salutem impertior; qui nisi munifice valideque navassent operam suam, consensus hic synodalis apte apparari non poterat.

Dum comiter salvere vos iubeo, vota facio, ut omnes, cum participes adsimus in hoc XII Coetu Generali Ordinario Synodi Episcoporum, auxilio

---

<sup>1</sup> Hoc numero comprehenduntur 4 Patriarchae Cardinales pariter ac 1 Archiepiscopus Maior Cardinalis.

iuvemur, quo melius divinum Verbum cognoscamus, ut se quisque a Deo diligi intellegens, renovato ardore profectum faciat in via sanctitatis, ad Ecclesiae totiusque mundi utilitatem.

Sermo hic est quinquepertitus:

- I) De divino Verbo velut in limine cogitata
- II) Labores inter XI et XII Coetum Generalem Ordinarium peracti
- III) XII Coetus Generalis Ordinarii praeparatio
- IV) Res a Secretaria Generali actae
- V) Conclusio

### **I) De divino Verbo velut in limine cogitata**

Cum XII Coetus Generalis Ordinarius sit de Dei Verbo, quasi sua sponte in mentem veniunt verba, quibus incipit Evangelium Ioannis: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος [*In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum*] (*Io 1, 1*). Qua sententia Spiritus Sancti plena favente, in abyssum penitus penetramus divini arcani, a saeculis absconditi et in dispensationem plenitudinis temporum propositi (cfr. *Eph 1, 10*) in Christo Iesu, qui quidem natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine (cfr. *Lc 1, 34-37*). “*Deum nemo vidit umquam; unigenitus Deus, qui est in sinum Patris, ipse enarravit*” (*Io 1, 18*).

Christus Iesus est Λόγος (Dabar, Verbum, Sermo, Ratio creativa): Verbum aeternum, in incarnationis mysterio caro factum ut habitaret in nobis (cfr. *Io 1, 14*).

Dominus Iesus, qui homo simulque est Deus, civitates pagosque circumivit in terra Sancta “*docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo*” (*Mt 4, 23*). Revelationis Eius per verba et opera peractae culmen in Paschatis mysterio est situm, in passionis et mortis humiliatione, in resurrectionis dein clarificatione ascensionisque gloria “*super omnes caelos, ut impleret omnia*” (*Eph 4, 10*).

Filius et Λόγος qui erat in principio apud Deum, cum ipse esset Deus (cfr. *Io 1, 1*), particeps fuit creationis, quatenus “*Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est*” (*Io 1, 3*). Spiritus Sancti lumine collustrati, qui ferebatur super aquas, dum “*Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae super faciem abyssi*” (*Gen 1, 2*), proprius accedimus ad actum divinae creationes: בְּרָא אֱלֹהִים אֶת הַשָּׁמָיִם וְאֶת הָأָرֶץ [“*In principio creavit Deus caelum et terram*”] (*Gen 1, 1*) ibique detegimus operationem Verbi, quod est Λόγος per quem Pater Deus universa et hominem creavit,

quem ad imaginem et similitudinem Factoris factum, in rebus creatis velut aliquid praecipuum collocavit (cfr. *Gen* 1, 26-27).

In Λόγῳ “*vita erat et vita erat lux hominum*” (*Io* 1, 4), quae in tenebris fulget. Omnes, quicumque “*Verbum Vitae*” [qui est Λόγος τῆς ζωῆς] (*1 Io* 1, 1) suscepérunt, vocationem accipiunt ad Illud enarrandum, ut, participes effecti communionis cuius fundamentum est in Patre Eiusque in Filio Iesu Christo, gaudio communicent pleno. Qua in re “*fidelibus in Iesu Christo*” (*Eph* 1, 1) Spiritus Sanctus, qui in illis inhabitat, opitulatur eosque “*templum Dei*” (*1 Cor* 3, 16) demutat, adiuvat infirmitatem ipsorum, (cfr. *Rm* 8, 26) illosque deducit in omnem veritatem (cfr. *Io* 16, 13). Sed ipse tamen Iesus resurgens manet cum Suis usque ad consummationem saeculi (cfr. *Mt* 28, 20). Idemque, omnes, qui in Eucharistia Ipsius Corpore Sanguineque aluntur, membra efficit Ecclesiae, quae Corpus Eius mysticum est. Propterea Iesus ipse, Λόγος, operans in interiore corde, nos impellit in missionem, ut Evangelium enarremus. Re quidem vera, ut in S. Hieronymi sententiam abeamus, qui negat “posse eum verba deficere, qui credidisset in Verbum”<sup>2</sup> in rebus divinis non perinde suis viribus, quam divina Gratia rectaque intentione homo niti debet.

Iesus Christus Λόγος aeternus, est Primus et Novissimus. Etiam ceu homo renovatus primatum tenet in nova creatione, cum sit primogenitus ex mortuis (cfr. *Col* 1, 18). “*Vocatur nomen eius Verbum Dei*” [*O Λόγος τοῦ Θεοῦ*] (*Ap* 19, 13), “*Rex regum et Dominus dominorum*” (*Ap* 19, 16). Ille igitur Λόγος per quem omnia facta sunt novissimus quoque erit, cum veniet iudicare vivos et mortuos, “*reddere unicuique sicut opus eius est*” (*Ap* 21 22, 12). Ipse est “*Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis*” (*Al* 21, 13). Nos quoque in Coetu synodali congregati, cum omnibus rebus in caelis terrisque creatis, Spiritu Sancto reoleti proclamamus: “*Sedenti super thronum et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum*” (*Ap* 5, 13).

## II) Labores inter XI et XII Coetum Generalem Ordinarium peracti

Inter XI Coetum Generalem Ordinarium Synodi Episcoporum de *Eucharistia fonte et culmine vitae et missionis Ecclesiae* diebus a altero ad tertium et vicesimum mensis octobris anni MMV celebratum, obortum est XI Consilium Ordinarium Secretariae Generalis. Secundum iussa *Ordinis Synodi Episcoporum* suffragiis electronicis a *Patribus synodalibus* datis delecti 12 sodales, Summus Pontifex vero Benedictus XVI Episcopos 3

---

<sup>2</sup> S. HIERONYMUS, Epistola I, *Ad Innocentium, De Muliere septies percussa*, PL 22, 327.

nominavit, qui numerum 15 membrorum supra laudati Consilii peculiarem implerent. Duplex fuit munus XI Consilio Ordinario propositum: ut scilicet conclusiones XI Coetus synodalis de Eucharistia perageret utque XII Coetum Generalem Ordinarium proxime celebrandum appararet.

Consilium Ordinarium sexies Romae congregatum est. Prima adunatio habita est die 22 octobris a. 2005, Coetu Synodali in terminum vergente. Tunc Sodales potuerunt melius inter se cognoscere itemque in futurum agenda ordinare. Per annum 2006 Consilium congregatum est ter diebus nempe 30 et 31 ianuarii, 1 et altero iunii, 10 et 11 octobris. Consilium Ordinarium adunationem habuit anno 2007 diebus 24 et 25 ianuarii et anno 2008 diebus 21 et 22 ianuarii. Recentioribus subsidiis communicationis maxime cursu electronico opitulantibus, Secretaria Generalis cum Sodalibus supra laudati Consilii concors, favit commercio notitiarum et documentorum scripto habendo, cum id sibi proponeret, ut incommoda minueret, quae Episcopis provenire solebant propter crebra itinera a suis dioecesis Romam, in sedem Secretariae Generalis facienda.

Prioribus duabus adunationibus XI Consilii Ordinarii finis potissimum fuit praestitutus, ut conferrent copiosa documenta a Synodo de Eucharistia confecta. Peculiari vero ratione Sodales Consilii Ordinarii mentis aciem adverterunt in perpendendas 50 Propositiones, quae iudicio longe maioris partis Patrum synodalium erant approbatae duabus tertiiis partibus suffragiorum. Prima propositione a benignissima S. Patris Benedicti XVI acceptatione postulabatur, ut Documentum redigeret de sublimi Eucharistiae mysterio, ad utilitatem Ecclesiae eiusque in gentes missionis.

Sanctitas Sua munifice dignatus est excipere supplicem Patrum synodalium rogationem. More autem solito, Summo Pontifici Adhortationem post-synodalem concinnati opiferum adstetit XI Consilium Ordinarium Secretariae Generalis Synodi Episcoporum. Adunatione Consilii mense ianuario a. 2006 habita voto unanimo concinnatum est schema Documenti copiosis atque distinctis animadversionibus plenum. Cum autem Consilium in proximum congregatum esset mense iunio, experimenta Apostolicae Adhortationis perpensa sunt. Haud rarae animadversiones propositae sunt, ut divitiae meditationis ab XI Coetu Generali Ordinarii Synodi Episcoporum peractae totae colligerentur, Ecclesiae maximeque Concilii Oecumenici Vaticani II, Magisterio collustrante, secundum doctrinam a Summis Pontificibus Paulo VI, Ioanne Paulo II, Benedicto XVI traditam.

Animadversionibus cunctis in unum corpus collectis, textus exaratus Summo Pontifici traditus est, qui eius concinnationi ingenter contulit impressitque charisma universalis Ecclesiae Pastoris domesticum, itemque

S. Pater Adhortationis Apostolicae post-synodal inscriptionem de legit significantissimam: *Sacramentum Caritatis*. Documentum Episcopus Urbis sigillo signavit die 22 februarii 2007, in festo Cathedrae S. Petri idemque titulo *Sacramentum Caritatis* distinctum publici iuris factum est die 13 martii 2007 eodemque die in publicum prodiit in Aula Diurnariorum Sanctae Sedis, referentibus Em.mo Dom. Angelo Card. Scola, Patriarcha Venetiarum atque Relatore Generali XI Coetus Generalis Ordinarii, et Exc.mo Dom. Nikola Eterović, Episcoporum Synodi Secretario Generali.

Adhortationis Apostolicae Postsynodal textus, prius octo sermonibus exaratus, dein multiformi linguarum varietate editus est.

Die 22 februarii 2006, Exc.mus Secretarius Generalis Synodi Episcoporum *Relationem circa labores peractos* ab XI Coetu Generali Ordinario Synodi Episcoporum transmisit Antistitibus Ecclesiarum Orientalium Catholicarum sui iuris, Praesidiibus Conferentiis Episcoporum praepositis, Praefectis Romanae Curiae Dicasteriis, Praesidi Unionis Superiorum Generalium. In hoc Documento per summa capita enarratur, quo pacto labores synodales apparati sint et progressi fuerint. Inter cetera etiam haec de rationibus actuariorum deprompta sunt: adunationi synodali anni 2005 interfuerunt Patres synodales 256, quorum 177 delecti suffragiis, 39 ex officio, 40 ab ipso Summo Pontifice nominati erant. Si continent spectes, Patres synodales 50 ex Africa, 59 ex America, 44 ex Asia, 95 ex Europa, 8 ex Oceani provenerunt. Congregationes Generales 22 habitae sunt, Circulorum vero Minorum Sessiones 7 fuerunt. Textum *Nuntii* ad Populum Dei mittendi per acclamationem Patres synodales approbaverunt, iudicio autem partis longe maioris 50 *Propositiones* confirmatae sunt.

Iuxta ordinem probatum, omnes orationes habitae in XI Coetu Generali Ordinario Synodi Episcoporum ex incisione vocis sonora in tabulas scripto conversae sunt iisdem, quibus usi essent relatores, sermonibus in Aula synodali. *Acta XI Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum* ita regesta edita sunt tribus voluminibus 973 paginis constantibus. Die vero 21 ianuarii 2008 Acta Sancto Patri tradita sunt, cum alia volumina pertineant ad Archivum Secretariae Generalis ibi asservanda ceu insignis documentorum collectio et testimonium de altissima Patrum synodalium meditatione de Eucharistiae mysterio habita

### **III) XII Coetus Generalis Ordinarii praeparatio**

Qua de re XII Coetus Generalis Ordinarius mense octobri 2008 agendus futurus esset, amplis consultationibus, disputationibus profundis discussum est. Patres, ante terminum XI Coetus Generalis Synodi Episcoporum, rogati sunt, ut sententiam suam aperientes, indicarent, quae

quaestiones sibi potiores agendae viderentur in Coetu synodali proxime habendo. In responsis copiose praebitis, in magna rerum varietate, eminebat tamen Verbum.

Anno 2006 incipiente, ex Audientia Sanctissimi die 13 ianuarii habita, Exc.mus Dom. Nikola Eterović, Secretarius Generalis Synodi Episcoporum, epistula ad Antistites Ecclesiarum Orientalium Catholicarum sui iuris, ad Praesides Episcoporum Conferentiis praepositos, ad Praefectos Romanae Curiae Dicasteriis, ad Praesidem Unionis Superiorum Generalium missa, rogavit, ut terna themata proponerent, quae, de sententia Episcoporum, in Synodi Coetu altius discutienda viderentur esse. In hac insuper parte id lecturi monebantur: eiusmodi deligerent res, quae Ecclesiae universalis interessent, quarum recogitatio ex praesentibus vitae pastoralis adjunctis oboriretur, quas penitus pervestigari in Episcoporum Synodo pote esset. Responsa, ut in adunatione Consilii Ordinarii Secretariae Generalis diebus 1 et 2 iunii habenda statim perpendi possent, intra diem 1 iunii 2006 pervenire debebant.

Episcoporum Synodi Secretariae Generali plurima sunt argumenta proposita, quae omnia in memorata adunatione a Sodalibus Consilii Ordinarii examini subiecta sunt. Cum altius autem esset recogitatum, terna themata exarata sunt, quae Exc.mus Dom. Nikola Eterović, Secretarius Generalis, Sancti Patris Benedicti XVI, qui Synodo Episcoporum praeest, benignae obtulit considerationi. Summus vero Pontifex, in Audientia Secretario Generali concessa die 22 septembris 2006, priora terna themata accepta habuit, quae saepius ab Episcoporum ordinibus denotata essent, nempe: *Verbum Dei in vita et in missione Ecclesiae*. Eodem vero tempore, Pontifex Summus iussit, Synodi Coetum diebus a 5 ad 26 octobris anni 2008 habendum esse. Summi Pontificis iussa die 30 septembris 2006 ab Em.mo Dom. Tarcisio Card. Bertone, a secretis Status, Secretario Generali rite denuntiata sunt. Idem thema die 7 octobris in 11 sermones conversum publici iuris factum est.

Indifficulter ex ipsa Coetus tituli concinnatione percipimus, memoriam in mentem revocari superioris Synodi de Eucharistia habitae. Consulto et de industria curatum est, ut tituli essent similes, quo pressius urgeretur, qua relatione necessitudineque Verbum Dei et Eucharistia mutuo inter se sint astricta. Nam in Sancta Missa celebranda adeo inter se vinculo intimo colligantur, ut reapse e duabus mensis et Verbi et Eucharistiae Liturgiis formatis una fiat mensa simul Verbi et Corporis Sanguinisque Domini nostri Iesu Christi.

## **Ratio Lineamenta elaborandi**

Secretariae Generalis XI Consilium Ordinarium, cum S. Pater Benedictus XVI thema XII Coetus Generalis Ordinarii statuisset, bis congregatum est, ut textui *Lineamentorum* redigendo studeret. In conventu diebus 10 et 11 octobris anni 2006 habito, Sodales Consilii Ordinarii, quibusdam peritis opitulantibus, insigni Documento a Concilio Oecumenico Vaticano II promulgato cui inscriptio est Constitutio Dogmatica *Dei Verbum* potissimum adhaerentes, concorditer definierunt *Lineamentorum* schema, posterioribus quoque magisterii ecclesiastici de re attentis spectatisque adiunctis pastoralibus atque socialibus, quibus Ecclesiae particulares vivunt et operantur in mundo, qui nunc est.

In conventu diebus 24 et 25 ianuarii anni 2007, Sodales Consilii Ordinarii *Lineamentorum* experimenta expenderunt, quibusdam demutatis, quo perfectior fieret textus. Itemque denotata sunt aliqua etiamtunc penitus revisenda. Secretaria Generalis, peritis adlaborantibus, omnia, quae denotata essent, in unum corpus colligere conata est. Textus vero, ante quam interpretibus traderetur, qui in varios eum converterent sermones, cursu electronico idcirco cunctis Sodalibus missus est, quo amplius, si forte, elimaretur.

Consensu denique Consilii Ordinarii, die 27 aprilis 2007 Secretaria Generalis *Lineamenta* XII Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum publici iuris fecit. Illud scilicet textus venabatur, ut in Ecclesia universalis de re in Coetu synodali disputando disceptationi faveret. *Lineamenta* insuper in Aula Diurnariorum Sanctae Sedis, Exc.mo Dom. Nikola Eterović, Secretario Generali, atque Rev.mo Dom. Fortunato Frezza, altero a secretis Episcoporum Synodi, referentibus, in publicum prodierunt. Documenti autem divulgatio potis fuit prasertim instrumentis hodiernae communicationis auxiliantibus, maximeque interretis subsidio.

In pagina Sanctae Sedis interretiali Epicoporum Synodo impertita *Lineamentorum* textus in decem sermones conversus collocatus est. Praeterquam in 8 sermones plerumque adhibitos (latinum dicimus, anglicum, francogallicum, germanicum, hispanicum, italicum, lusitanum, polonicum) in translationibus Secretariae Generalis cura et studio apparandis. Documentum conversum est etiam in linguam sinensem et arabicam, ut sub huius rei certo signo cognosci possit, quanti faciant rem in Coetu synodali discutiendam Ecclesiae particulares sermonibus illis quae utuntur. More solito *Lineamentis* adnexa erant quae sita numero 21, quo facilius lecturi res recogitarent in easque altius descenderent. In *Praeambulo* Secretarius Generalis rogabat, ut omnes, quorum interesset, intra mensem

novembrem responsa mitterent, quibus themati a Sancto Patre Benedicto XVI selecto excusse conferrent.

### ***De Instrumento laboris redigendo***

Res in hoc Coetu Generali Ordinario disceptanda, ut e responsis ad Secretariam Generalem missi patet, nostris temporibus impense adhaeret idemque haud parum pertingit animos in Ecclesiis particularibus, quae a disputatione synodali id potissimum exspectant, ut renovetur alacritas in evangelio nuntiando, et homines novo inflammati studio cognoscendi, amandi, celebrandi divinum Verbum praesertim in celebrationibus liturgicis, dein impetu revidente illud omnibus, qui propeve longeve absint, enarrent.

Numerus responsorum ab institutionibus praebitorum definitur duodecognitiona comma quattuor (78,3 %) centesimis partibus isque hunc in modum distribuitur:

- Synodi Ecclesiarum Catholicarum Orientalium sui iuris: 61,5 % (de 13 responsum 8<sup>3</sup> Ecclesiae dederunt);
- Conferentiae Episcoporum: 82,3 % (de 113 responsum 93 Episcoporum Conferentiae dederunt);
- Dicasteria Curiae Romanae: 68 % (de 25 responsum 17 Dicasteria dederunt<sup>4</sup>);
- Unio Superiorum Generalium: 100 % .

Quod autem pertinet ad Episcoporum Conferentias, haud supervacaneum iudicamus praebere numerum responsorum pro centesimis partibus pro singulis continentibus, servato elementorum ordine:

- Africa: 72,2 % (de 36 responsa dederunt 25<sup>5</sup> Episcoporum Conferentiae);

---

<sup>3</sup> Quae Ecclesiae sui iuris nulla responsa dederint, habeto: Patriarchatus Babylonensis Chaldaeorum, Archiepiscopatus Maior Syro-Malabarensium, Archiepiscopatus Maior Romenorum, Ecclesia Metropolitana sui iuris Aethiopica, Ecclesia Metropolitana sui iuris Slovaca, nuperime erecta die 31 januarii 2008.

<sup>4</sup> Desunt 8 responsa, signatim e Congregationibus de Causis Sanctorum et de Institutione Catholica, e Supremo Tribunal Signaturae Apostolicae, e Pontificiis Consiliis de Iustitia et Pace, de Communicationibus Socialibus, ex Administratione Patrimonii Sedis Apostolicae, e Praefectura rerum oeconomicarum Sanctae Sedis.

<sup>5</sup> 11 Conferentiae Episcoporum nulla responsa dederunt: Burundia, Ciadia Guinea Aequatorialis, Kenia, Liberia, Madagascaria, Mozambicum, Namibia, Sudania, Togum, Uganda, Zambia.

- America: 83,3 % (de 24 responsa dederunt 20<sup>6</sup> Episcoporum Conferentiae);
- Asia: 94,1 % (de 17 responsa dederunt 16<sup>7</sup> Episcoporum Conferentiae);
- Europa: 93,7 % (de 32 responsa dederunt 30<sup>8</sup> Episcoporum Conferentiae);
- Oceania: 50 % (de 4 responsa dederunt 2<sup>9</sup> Episcoporum Conferentiae).

Secretariae Generalis Synodi Episcoporum XI Consilium Ordinarium, quibusdam peritis adiuvantibus, attente perlegit contributiones ab ordinibus episcoporum missas. Sodales autem Consilii in collationibus quoque haeserunt non modo a nonnullis ecclesiasticis institutionibus praebitis, ut est Unio Internationalis Superiorissarum Generalium (U.I.S.G.), verum etiam ab hominibus privatis, qui missis epistulis, quid de re sentirent, aperire voluerunt.

Secretaria Generalis in censem quoque vocavit conclusiones quae profectae sunt e Conventibus Studiorum de hac re habitis, itemque symbolas consideravit, in commentariis editas tam specificis quam eruditioni divulgandae deditis.

Sodales XI Consilii Ordinarii, diebus 21 et 22 ianuarii 2008 in unum congregati, experimenta *Instrumenti laboris*, praesertim e contributionibus episcoporum Ecclesiae universalis affluenter missis redacta, copiose retractaverunt iidemque munus Secretariae Generali contulerunt, quae animadversiones singillatim expressas in unum velut corpus confunderet. Secretaria Generalis, cum opus ingens explevisset quibusdam peritis optulantibus, per cursum electronicum textum iuxta monita Consilii Ordinarii peractum singulis et omnibus Sodalibus transmisit, id rogans, ut Documentum aut probarent aut alias, si forte, novissimasque animadversiones proponerent. Adnotationes vero a Sodalibus Consilii Ordinarii redactae, cum singillatim perpensa esse essent, maxima dein parte in textum ultimum immissae sunt. Itaque, *Instrumentum laboris*, cum interpres solita laboris tolerantia arduum opus explevissent, die 12 iunii

<sup>6</sup> Nulla responsa pervenerunt Conferentiarum Episcoporum de Cuba, Haitia, Portu Divite, Uriquaria.

<sup>7</sup> Unum deest responsum e Conferentia Episcoporum Iranica.

<sup>8</sup> Desunt responsa e Conferentiis Episcoporum Graeciae et Melitae.

<sup>9</sup> Suas contributiones mittendas non curarunt Conferentiae Episcoporum Oceani Pacifici (C.E.P.A.C.), de Papua Nova Guinea et Insulis Salomonis.

2008 textus in 8 sermones translatus publici iuris est factus. Eodem autem die Documentum in Aula Diurnariorum Sanctae Sedis, Exc.mo Dom. Nikola Eterović, Secretario Generali atque Rev.mo Dom. Fortunato Frezza, altero a secretis Episcoporum Synodi, referentibus, in publicum prodiit. Longe lateque *Instrumentum laboris* pervulgatum est interretis ope – nam in pagina Sanctae Sedis interretiali Episcoporum Synodo impertita collocatum est – subsidioque typorum, cum in nonnullis diariis, ceu italice *L'Osservatore Romano* quae inscribuntur aliisque similiter sermonibus cura et opera Domus Librariae Editricis Vaticanae, atque in commentariis editum sit. Hac igitur ratione complures ordinationem diurnam Coetus synodalibus proxime celebrandi cognoscere potuerunt. Patribus maxime synodalibus utilitati fuit, qui hoc pacto se convenienter parare potuerunt, ut interessent collationi de Synodi themate habendae; quod thema est ingentissimum in Ecclesiae vita et in missione, quam Evangelii nuntiandi hominisque promovendi gratia, peragit.

### **Quid Sanctus Pater Benedictus XVI operi contulerit agendo**

Sancto Patri Benedicto XVI, qui a Secretaria Generali Episcoporum Synodi opus peragente continenter prope adstetit, quae agerentur singillatim inspiciens, in acceptum referto, ut gratias agam nomine XI Consilii Ordinarii totiusque Coetus. Ceterum Pontifex Maximus ipse est Epicoporum Synodi Praeses. Episcopi autem magnam mentis attentionem in Sancti Patris pronuntiationes advertunt, maxime cum de communione ecclesiali deque synodali natura Ecclesiae sint, nam Episcoporum Synodi haec praesertim movent, vel propter contributionem, quam ex instituto impendit ad utilitatem ministerii Romani Pontificis, qui Ecclesiae universalis Pastor est constitutus.

Sanctus Pater Benedictus XVI, praeter Audientias de labore peragendo, quas Secretario Generali concessit, XI Consilium Ordinarium in Palatium Apostolicum ter accepit, nempe: die I iunii 2006; d. 25 ianuarii 2007, d. 21 ianuarii 2008. Quoties autem id venit, toties Romanus Pontifex de partibus operis a Consilio gerendi significantibus orationes habuit convenientes, quarum sonus in omnem Ecclesiam exiit potenter. Orationes vero, cum tunc temporis Consilium Ordinarium opem ferret Summo Pontifici in copiosis contributionibus ex XI Coetu Generali Ordinario Episcoporum Synodi de *Eucharistia: fonte et culmine vitae et missionis Ecclesiae* colligendis et in ordinem redigendis, de mysterio Eucharistiae omnes fuerunt. Ut par est, cum Consilium viribus unitis se totum dedit XII Coetui Generali Ordinario apparando, Sanctitas Sua, *Verbum Dei in vita et in missione Ecclesiae* nimium quantum valere evolvit.

Has de divino Verbo Summi Pontificis pronuntiationes, bona venia, denotabo: orationem in prece *Angelus* incipiente d. 6 novembris 2005 habitam, cum quadragesimus annus celebraretur post Constitutionem *Dei Verbum*<sup>10</sup> promulgatam; allocutionem ad homines, qui Conventui omnium Gentium de *Sacra Scriptura in vita Ecclesiae*<sup>11</sup> interfuerunt habitam; volumen, quod *Iesus de Nazareth* inscribitur<sup>12</sup>.

Neque id possumus praetermittere, Pontificem saepius provocasse ad praestantissimam *Lectionis Divinae* consuetudinem reciperandam.

In Audientiis Generalibus inter Catechesin feriis quartis tradendam, Sanctus Pater Benedictus XVI saepe in propatulo posuit momentum Sacrae Scripturae Patrumque Ecclesiae vitale in opere theologico, spirituali, ecclesiiali Apostolorum eorumque successorum. Quibus allocutionibus faventibus, incunctanter ditior fiet meditatio synodalis. Ceterum earum nonnullae memoratae inveniuntur et in *Lineamentis* et in *Instrumento laboris*, quae documenta praeparatoria sunt et labori agendo deserviunt XII Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum.

#### **IV) Res a Secretaria Generali actae**

Secretaria Generalis multis officiis distenta in cogitatis XI Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum peragendis eodemque tempore se totam devovit et XII Coetui Generali Ordinario Episcoporum Synodi apparando et Secundo Coetui Speciali pro Africa Synodi Episcoporum instituendo, qui, Deo favente, mense octobri anni 2009 celebrandus est.

Nihilo tamen secius, Secretaria Generalis alias quoque res perfecit, de quibus, bona venia, succincte dicam.

#### **De *Ordine Synodi Episcoporum* reconcinnando**

Iamdudum necessitas urgebat reconcinnandi ordinem Synodi iuxta praecepta *Codicis Iuris Canonici* atque *Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium*, quos Ioannes Paulus Pontifex huius nominis II promulgaverat die quidem 25 Ianuarii 1983 priorem illum, alterum vero die 18 octobris 1990. Praeterea oportunum esse videbatur, ut legum normae aptarentur

---

<sup>10</sup> *L'Osservatore Romano*, 7-8 novembris 2005, p. 5.

<sup>11</sup> AAS 97 (2005) 957.

<sup>12</sup> Ratzinger J., *Gesù di Nazaret*, Rizzoli, Mediolani 2007.

consuetudini, quae quadraginta fere annorum spatio progrediens haud raro regebatur instructionibus datis ad hoc, per paginas effusas.

Sanctus Pater Benedictus XVI iusserat, magna quaedam in methodis synodalibus novari, quae quidem omnes experiundo approbaverunt inter XI Coetum Generalem Ordinarium Synodi Episcoporum celebrandum. Propterea, ad mentem Summi Pontificis constituta est Commissio ad hoc, cui munus est commissum, ut *Ordini Synodi Episcoporum* reconcinnando studeret. Fructus ex impenso labore obortos Sanctitas Sua Benedictus XVI comprobavit per rescriptum die 29 septembris 2006 datum et ab Em.mo Dom. Tharsicio Card. Bertone, a secretis Status, signatum.

*Ordo Synodi Episcoporum* publici iuris factus est in *Actis Apostolicae Sedis*<sup>13</sup> Eius vero specialis editio, textum latinum typicum cum versione italica a fronte continens, cura et studio Secretariae Generalis prodiit. Opusculum praeterea omnibus Patribus synodalibus impertitum est. Ceterum, *Ordinis Synodi Episcoporum* textus reconcinnatus legi potest etiam ratione electronica in pagina Sanctae Sedis interretiali Episcoporum Synodo dicata.

Longum est hic omnia, quae demutata sint, recensere. Mihi tamen liceat praecipua quaedam denotare.

In *Prooemio* succincte adumbratur historia mutationum, quae in *Ordinem Synodi Episcoporum* inductae sunt, et evolutio huius institutionis ecclesialis delineatur. Itemque definitur natura iuridica et momentum theologicum, quae Synodo Episcoporum inhaerent. Ipsa enim praesertim exprimit spiritum communionis, quo Episcopi et inter se et cum Romano Antistite devinciuntur. His insuper etiam dilectionem collegialem demonstrat, quae peculiari ratione elucet in relationibus sodalium ordinis episcoporum inter se. Manifestam dein facit sollicitam episcoporum curam pro bono Ecclesiae universalis. De variis dubitationibus ecclesialibus Synodus Episcoporum, Spiritu Sancto afflante, Romano Pontifici consilium praebet tutum. Itaque Synodus Episcoporum, ceu quodlibet organum collegiale, eum sibi finem praestituit, ut veritatem utilitatemve Ecclesiae venetur. Ille *consensus Ecclesiae*, qui oritur eamdem fidem experiundo “fructus est agentis Spiritus, animae unius Christi Ecclesiae”<sup>14</sup>.

Textus pareterea rationabilius servat compositionem Coetuum synodalium, maximeque praesentiam Ecclesiarum Orientalium Catholicarum sui iuris et Episcoporum Conferentiarum. Adhuc viget norma praeciensi, ut coetibus synodalibus intersit ex officio Antistes Ecclesiae Orientalis Catholicae singillatim consideratae, hac tamen cautela, ut, ubi

---

<sup>13</sup> AAS 98 (2006), pp. 755-779.

<sup>14</sup> *Ibid.*, 756.

Antistes p[ro]e gravibus causis impediatur, Synodo Ecclesiae de qua agitur consentiente, alium Episcopum sui sibi liceat legatum mittere. Praeterea, pro Ecclesiis Orientalibus Catholicis plures, quam 25 Sodales habentibus praevideatur electio alterius quoque legati.

In *Ordine Synodi Episcoporum* et pars *Relatori Generali* commissa, cuius forma se admodum evolvit his quattuor decennis, quorum spatio Synodus suo functa est munere, et negotium *Secretario Speciali* tributum distinctius definitur.

Inducta est norma imperans, ut omnes *Praefecti Dicasteriis Curiae Romanae* praepositi participes fiant ex officio Coetum Ordinariorum Generalium Episcoporum Synodi, cum prior lex nonnisi Cardinalium Praefectorum participationem praevideret, ceterosque Sancto Patri nominandos committeret.

Ut denominationes fierent uniformes atque congruentes *Codici Iuris Canonici* et *Codici Canonum Ecclesiarum Orientalium*, satius visum est, si Romanus Antistes, qui Synodo Episcoporum p[re]aeest, plerumque Romani Pontificis appellatione.

Pro Coetibus Generalibus Extraordinariis inducta est norma imperans, ut, servato consuetudinis in usu obsequio, ubi Praeses cuiusdam Episcoporum Conferentiae obicibus impediatur, primus, qui vices Praesidis gerat, ex officio eius in locum substituatur. Nam, ut inter omnes constat, *Ordo Synodi Episcoporum* praevidebat, ut Coetibus Generalibus Extraordinariis Praesides Episcoporum Conferentiarum participes ex officio intersint.

Normae de Commissione pro Nuntio, si forte, alove Documento redigendo constituta immutatae sunt. Aequa atque ceterae, haec quoque Commissio 12 constat Membris, quorum quattuor, in quibus et Praeses et Praesidis Vicarius numerantur, Sanctus Pater nominat, octo vero Coetus eligit.

Libera disputatio, quam Sancti Patris Benedicti XVI voluntate anno 2005 prospere in XI Coetum Generalem Ordinarium Synodi Episcoporum inducta erat, lex facta est.

*Periti, Auditores, Delegati Fratrem*, qui Episcoporum Synodo intersunt sine suffragio memorantur.

De Circulorum Minorum opere normae reconcinnatae sunt.

### ***Vademecum eiusque reconcinnatio: de rebus in methodis***

Cum autem reconcinnationem *Ordinis Synodi Episcoporum* evolverim et consuetudinem tetigerim, quae insigni incremento crevit his Synodi Coetibus novissimis, liceat nunc mihi quaedam in methodis novata

denotare, de quibus nonnulla, Sancti Patris Benedicti XVI iussu, in XI Coetu Generali Ordinario Synodi Episcoporum iam experiundo probata sunt.

Omnis pater synodalnis, alia quam in superioris Coetus consuetudine usus, in Aula per 5 non vero per 6 temporis minuta dicet. Tempus autem quod hunc in modum superfuerit, impendi poterit vel disputationibus in Aula habendis vel laboribus in Circulis Minoribus peragendis.

Id quoque cautum est, ut *Delegati Fraterni* et *Auditores*, viri feminaeque, quantum fieri potest, facultatem oratiunculam dicendi habeant quaternis temporis minutis.

Initio Synodi, *Relatores* quinque in contionem escendent, denis (10) temporis minutis imaginem sui quisque continentis erga divinum Verbum in universum adumbraturi. Itemque est constitutum, ut in *Circulis Minoribus Relatoribus* per denas temporis minutias partes dicendi copia fiat.

Liberae vero disputationis spatio, Patres sermonem conferre poterunt non ternis momentis longiore, semel tantum responsuri.

Idem hoc viget in ceteris quoque disputationis partibus intra Aulam idcirco, ut pro visum, instituendae, quo plures usque fiant participes synodalium deliberationum.

Eiusmodi disputatione, ut exemplum afferamus, adhibebitur post triginta minutorum orationem, quo pacto Adhortatio Apostolica Postsynodalnis *Sacramentum Caritatis* recepta sit, enarrantem. Ut natura fert, spes est, ut disceptatio quibusdam rebus huic Documento inhaerentibus tota contineatur, nam adhortatio illa, cum Eucharistia fons et culmen sit vitae et missionis Ecclesiae, velut fructus uberrimus e Coetu Generali Ordinario novissime celebrato enatus, documentum est ingentissimum Ecclesiae toto orbe terrarum diffusae oblatum.

Patres synodales, quicumque in Aula dicere volunt, toto corde precamur, ut temperi sua nomina dent apud Secretariam Generalem, qua de re sint contionaturi significantes. Ut par est, omnis synodalnis pater denotabit quotum numerum numerosve *Instrumenti laboris* enarraturus sit. Piores sermonem habebunt ii, qui de prima *Instrumenti laboris* parte, numeris a 1 ad 26 definita, disserere cupiant. De *Introductione* agitur deque capite quod *Mysterium Dei, qui loquitur nobis* inscribitur. Dein altius in alteram descendetur partem, ad *Verbum Dei in vita Ecclesiae* quae pertinet numerisque a 27 ad 41 continetur. Postea locus erit tertiae parti, *Verbum Dei in missione Ecclesiae* numeris a 42 ad 60 enarranti. Spes est, ut hunc in modum rationabili disputationi magis faveatur, singillatim rebus recensendis, quo facilius in argumenta penitus penetretur, omni desultoria sermocinandi ac repentina ratione remota.

Ad tempori parcendum, in Coetu synodali adhibenda erunt instrumenta suffragii lationis electronica, quibus utentes eodem fere, quo suffragia feruntur, tempore exitus cognoscere possunt.

Nihilo tamen secius, suffragiorum latio de *Propositionibus*, cum et quanti sit consideretur et instrumenta electronica aliquando, licet perraro, posse parum accurate suo munere fungi advertatur, utraque ratione, scripto nempe, secundum usum probatum, et via electronica fiet.

Inter Coetum Synodalem celebrandum, laetificabimur duos *Speciales Invitatos* salvere iubentes.

Nam die 18 octobris, sabbato, post meridiem prospectum est in Verbi Celebrationem, cui Patriarcha Oecumenicus Constantinopolitanus Bartholomaeus I una cum Sancto Patre Benedicto praesidebit.

Hodie autem 6 octobris, feria secunda, post meridiem Shear-Yashuv Cohen, archirabbinus in urbe Haifa, allocuturus est Patres Synodales, ut qua ratione viaque Hebraei utantur, enodet in enarranda Scriptura Sacra, quae, Vetus Testamentum audiens, maxima parte christifidelibus et maioribus illis fratribus est inter se communis.

Incepta varia prospiciuntur Coetus Synodalis spatio. Quorum aliqua in Calendario rerum agendarum indicantur; ceterarum vero notitia oportune vulgabitur. Omnes tamen id venantur, ut foveant amorem in Verbum Dei et obsequium tribuant hominibus, qui mirabili opere Evangelio intellegendendo et vulgando contulerunt. Quod quidem de Pio XII et Ioanne Paulo II Pontificibus Maximis praesertim praedicatur. Die 9 octobris, quinquagesimo obitus piissimi anniversario, Servum Dei Pium XII Sanctus Pater Benedictus XVI divino sacrificio litando convenienter commemorabit. Laboribus insuper synodalibus vertentibus, prospectum est, inter alia, in taeniam cinematographicam proiciendam de Servo Dei Ioanne Paulo II, cuius tricesimum electionis in munus Pastoris Ecclesiae universalis diem anniversarium celerabimus.

### **De Consiliis Specialibus**

Post XI Coetum Generalem Ordinarium, nonnulla Consilia Secretariae Generalis Specialia congregata sunt, ut pergerent recognoscere de Ecclesiae hominumque Societatis statu per singulos continentates, lumine suarum Adhortationum Apostolicarum Postsynodalium explorando.

Praesertim vero *Consilium pro Africa Speciale* bis congregatum est: diebus a 23 ad 24 februarii 2006 et diebus 15 et 16 februarii 2007. Utraque sessio se totam vovit redigendis *Lineamentis* Secundi Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum. Ut inter omnes constat, Ioannes Paulus II prospexerat anno 2004 hunc Coetum synodalem. Postea vero Sanctus Pater

Benedictus XVI incepit confirmavit statuitque, Secundum Coetum Speciale pro Africa Synodi Episcoporum in Vaticano diebus a 4 ad 25 octobris 2009 esse celebrandum, super thema: *Ecclesia in Africa in sevitutem reconciliationis, iustitiae, pacis*: ‘*Vos estis sal terrae..., vos estis lux mundi*’ (Mt 5, 13.14). *Lineamenta* die 27 iunii 2006 in Aula Diurnariorum Sanctae Sedis in publico prodierunt, referentibus et Em.mo Dom. Francis Card. Arinze, Praefecto Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Membro Consilii Specialis pro Africa Secretariae Generalis Synodi Episcoporum, et Exc.mo Dom. Nikola Eterović, Secretario Generali Synodi Episcoporum. Textus quadrilinguis editus est, nempe anglice, francogallice, italice, lusitano sermone. Deinde Episcoporum Conferentiae translationes in alias sermones faciendas curaverunt, velut, e.g., arabice et swahilice. Instituta, quorum interest, maximeque 36 Conferentiae Episcoporum suas contributiones *Lineamentis* adhaerentes praebere debent intra mensem novembrem 2008, qui proxime veniet.

Quantum praevidetur, Consilium Speciale pro Africa congregandum erit diebus 27 et 28 novembribus anni 2008, ut redigatur *Instrumentum laboris* Secundi Coetus Specialis pro Africa Synodi Episcoporum.

*Consilium Speciale pro Europa* bis est congregatum, diebus 15 mai 2006 et die 23 aprilis 2007. Dein vero, consultatione scripto facta de rebus in futurum a Consilio Speciali agendis, cum sententiae disparest, forma autem hucusque adhibita iam exhausta videretur, consilium Speciale pro Europa, tametsi nomine quidem etiamnunc viget, re tamen anno 2008 numquam est convocatum.

Item bis *Consilium Speciale pro Oceania* est congregatum: diebus 4 et 5 augusti 2006, Suvae, in Insulis Fiji, ante Coetum Foederationis Episcoporum Conferentiarum in Oceania, cui ut interesset ipse Exc.mus Dom. Mons. Nikola Eterović, Secretarius Generalis Synodi Episcoporum invitatus est. Secundo Consilium est Romae congregatum diebus 14 et 15 februarii 2008. Sodales Consilii Specialis pro Oceania sententiam suam aperientes, rogaverunt, ut, coetu proxime habendo, mense maio 2010, Consilium desinat suo munere fungi, saltem qua nunc utitur forma.

*Consilium Speciale pro America* bis congregatum est, diebus 2 et 3 octobris 2006 et diebus 9 et 10 octobris 2007. In provisu proximus coetus statutus est in dies 18 et 19 novembribus 2008.

*Consilium denique Speciale pro Asia* bis congregatum est diebus 17 et 18 novembribus 2006 et diebus 20 et 21 novembribus 2007. Proximus coetus providetur in dies 11 et 12 decembribus 2008.

Structuram Consiliorum Specialium Secretariae Generalis regit *Ordo Synodi Episcoporum*, qui eorum durationem statuit *ad quinquennium*,

salva Summi Pontificis potestate mandatum renovandi iuxta Ecclesiae postulata et necessitates rei pastoralis.

### **Libri publici iuris facti**

Opus a Secretaria Generali navatum vel ditius factum est, cum libri, quos memorabimus, impressi editique sint.

Laetanter vos certiores facio, in publicum prodisse tertium volumen seriei, qua constat *Enchiridion Synodi Episcoporum*, eoque documenta temporis spatio producta annis a 1996 ad 2007 definito omnia contineri. In volumine publici iuris fiunt documenta quae e quattuor Coetibus Specialibus (nempe pro America anni 1997; pro Asia et Oceania a. 1998; pro Europa a. 1999) atque e binis Coetibus Ordinariis Ordinariis profecta sunt, e X scilicet, anno 2001, et XI anno 2005 habito.

Adhortatio Apostolica Postsynodalis verbis *Sacramentum Caritatis* incipiens, a Sancto Patre Benedicto XVI data, extremum occupat volumen. Domum Editoriam Dehonianam Bononiensem grato aequo animo Secretaria Generalis prosequitur, quippe quae ponderosa tria illa volumina ediderit opus complectentia ab Episcoporum Synodo quater denis annis, a 1965 ad 2007, navatum. Indicibus diligenter curatis maximeque tabula analytica usus, potest lector indifferenter opus consulere, ut de variis ingentibusque synodalium disputationum argumentis edoceatur.

His accedit volumen, quod *Eucharistia fons et culmen vitae et missionis Ecclesiae* (vulgo: *L'Eucaristia: fonte e culmine della vita e della missione della Chiesa*) inscribitur, cura et studio P. Roberti Nardin, O.S.B. Oliv. editum et impressum typis Universitatis Studiorum Lateranensis (vernaculo sermone: Lateran University Press). Suo auctor libro omnem documentorum messem complexus est, quae in XI Coetu Generali Ordinario Episcoporum Synodi et apparando et celebrando confecta sunt. In illo enim collecti leguntur omnes textus a Coetu synodali exarati, quorum in censum etiam summaria veniunt oratiuncularum a Patribus synodalibus habitarum; Adhortatio autem Apostolica Postsynodalis *Sacramentum Caritatis* inscripta velut in Synodi meditationum coronide collocata est. Indice nominum personarum diligenter exarato usui queunt lectores opus proficie celeriterque consulere.

Huius libri subsidio Secretaria Generalis Synodi Episcoporum, Domino favente, id sibi praestituit, ut adaugeat coronam operum, quam bene meritus ille P. Ioannes Caprile, S.J., auspicatus est in eum finem, ut non modo Pastores peritique, verum omnes, quicumque his rebus moveantur, ad copiosam Documentorum Synodi messem propius accedant.

## V) Conclusio

Ἐγγύς σου τὸ ρῆμά ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σού, τοὐτὸν ἔστιν τὸ ρῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν [“*Prope te est verbum, in ore tuo et in corde tuo hoc est verbum fidei, quod praedicamus*”] (*Rm 10, 8*). Verbum Sanctus Paulus dicit Evangelium salutis in universum acceptum, in vultu Personaque Iesu Christi formatum: “*Quia si confitearis in ore tuo: "Dominum Iesum!", et in corde tuo credideris quod Deus illum excitavit ex mortuis, salvus eris*” (*Rm 10, 9*). In Veteri iam Testamento omne verbum, quodcumque ex ore Deo esset egressum, erat acutum et penetrabile, - non enim revertebatur ad Eum vacuum, sed faciebat, quaecumque voluerat (cfr. *Is 55, 11*) -; eo magis efficacior est ille Λόγος, Verbum Dei propter excellentiam, quod Deus secundum multitudinem amoris Sui, in mundum misit ad salutem faciendam: “*Non enim misit Deus Filium in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*” (*Io 3, 17*)!

Iesus Christus, Λόγος qui caro factus est, sua persona omnia complectitur verba, quae Deus ad homines advertit, ut salvi essent. Quae verba Ille perficit et enarrat plena significatione. Nos illa intelligere valemus gratia Sancti Spiritu rorante, quem Iesus Christus, a Patre acceptum (cfr. *At 2, 33*), copiose effudit super Apostolos fideliumque communitatem, quae est Ecclesia (cfr. *Tt 3, 6*). Evangelium salutis, sacrum depositum, in Sacris Scripturis scripto asservatur et per Traditionem traditur. Id Superna Providentia Ecclesiae communitati commissum Magisterium authentice interpretatur. Id Ecclesia, Spiritu Sancto animata, sollicite custodit, fideliter diffundit, sui Domini mandatis oboediens: “*Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,*” (*Mt 28, 19*).

In votis est, ut haec Synodus, cum divini Verbi parti christologicae atque pneumatologicae recuperandae deserviat, faveat hunc in modum Ecclesiae renovationis, quae velut rursus iucundum ver agens, in omni verbo, quod procedit de ore Dei audiendo (cfr. *Mt 4, 4*) constituta, se semper iuvenem mobilemque percipiat: “Semper Ecclesia renovetur oportet atque revirescat; quod ut illa consequatur, nihil aequa valet atque Dei Verbum, quod neque veterascit neque umquam peribit”<sup>15</sup>. Huius autem renovationis extensio missionalis late patebit, uti ecclesiale prolatet communionem

---

<sup>15</sup> Benedictus XVI, *Discorso ai partecipanti al Congresso internazionale per il 40° anniversario della "Dei Verbum"*, *L'Osservatore Romano*, 17 septembris 2005, p. 5.

cum Patre eiusque Filio Iesu Christo, Spiritu Santo duce, ut gaudium adispiscamur plenum (cfr. *1 Io* 1, 4).

Si quis divitias, speciem, virtutem conversionis, transformationis gratiam divino Verbo inherentes detegit, is ultiro sponteque fit Evangelii testis firmus et caduceator sincerus: “*Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*” (*Rm* 10, 17).

Christifideles, dilecti a Deo [ἀγαπητοί Θεοῦ], cum baptismo collato sancti vocati [κλητοί ἀγίοι] sint, in missionem expedite vocatione vocantur.

Complures in historia salutis homines splendent, qui loquenti Deo aurem praebere, vitam conformare, praedicatione deservire singuli virtute valuerunt. Abraham, Moysen, prophetas in Testamento Vetere, Sanctos Petrum et Paulum ceterosque Apostolos Evangelistasque in Testamento Novo satis est commemorare<sup>16</sup>. Omnes Sancti quodammodo testimonium perhibent virtuti divini Verbi, quod in corda ipsorum velut in terram bonam cum cecidisset, fructum attulit fecitque “*aliud quidem centum, aliud autem sexaginta, porro aliud triginta*” (*Mt* 13, 23). Quod quidem Beati quoque, quos die dominico 12 octobris 2008 in numerum Sanctorum Summus Pontifex Benedictus XVI asciscet, plane ostendunt.

In hac sanctitatis communione egregium locum Verbi incarnati Mater, Beata Maria Virgo obtinet, quae, Mulier Eucharistica et Virgo auditus cupida, Verbum Dei in oboeditione fidei (cfr. *Lc* 1, 38) vivendum nimium quantum fructificare ostendit. Maria enim, cuius in ventre divino numini obsequentis, gratia Spiritus Sancti rorante, Verbum caro factum est, velut primum Tabernaculum fuit, in quo mirum in modum Verbum aeternum hominem suscipiens salutis Evangelium in rebus humanis pronuntiavit. Huius simile miraculum in Eucharistia, quoties celebratur, fit, quo tempore gratia Spiritus Sancti effusa, virtute verborum, quae sacerdos in persona Christi capit is enuntiat, panis in Corpus, vinum in Sanguinem convertuntur Iesu Christi incarnati Verbi se in escam aeternae vitae tradentis (cfr. *Io* 6, 27).

Beatae Mariae Virginis, Ecclesiae Matri, ut intercedat pro nobis, nos committentes, vota facimus, ut hic synodalibus Coetus divino Verbo reciperando excusse opituletur, sodalibus omnibus in via sanctitatis proposit, alacritatem sedulam in Evangelio nuntiando homineque promovendo suscitet reficiatque.

---

<sup>16</sup> Cfr. *Instrumentum laboris* N. 25.

Hanc spem Ecclesia semper ut vivat hominibusque longe propeve  
astantibus pronuntiet, verbis Gentium Apostoli vocatur dicentis: ὁ δὲ Θεὸς  
τῆς ἐλπίδος πληρώσαι τὸν μᾶς πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης ἐν τῷ πιστεύειν, εἰς  
τὸ περισσεύειν τὸν μᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι ἐν δυνάμει Πνεύματος Ἁγίου [“*Deus  
autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe  
in virtute Spiritus Sancti*”] (Rm 15, 13).

Vobis pro comitate in audiendo gratias ago et omnibus, qui  
aggredimini ad laborandum, bene faustequem precor. In nomine Domini.

+ Nikola Eterović'

✠ NIKOLA ETEROVIĆ  
Archiepiscopus tit. Sisciensis  
Secretarius Generalis